

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Catvlli,|| Tibvlli,|| Properti[i]|| Nova Editio.|| Iosesphvs
Scaliger|| Ivl. Caesaris F.|| recensuit.|| Eiusdem in
eosdem Castigationum Liber.|| Ad|| Cl. Pvteanvm
Consiliarium Regium|| in suprema ...**

**Catullus, Gaius Valerius
Tibullus, Albius
Propertius, Sextus**

Lutetiae, 1577

Q. Valeri catvlli veronensis ad cornelivm nepotem Liber.

urn:nbn:de:gbv:45:1-258



Q. VALERII CA-
TVLLI VERO-
NENSIS

AD
CORNELIVM NEPOTEM
LIBER.



*VOI dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi. nanque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Iam tum, quū ausus es vnus Itolorum*

*Omne auum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter, & laboriosis.*

*Quare habe tibi quicquid hoc libelli est
Qualecunque: quod, o patrima Virgo,
Plus vno maneat perenne seculo.*

*PASSER delitiæ mee puellæ,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acris solet incitare morsus:
Quum desiderio meo nitenti*

A. i.



Carum nescio quid lubet iocari,
 Et solatiolum sui doloris
 Credunt, quum grauis acquiescit ardor:
 Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
 Et tristis animi leuare curas:
 Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
 Pernici aureolum fuisse malum,
 Quod zonam soluit diu ligatam.

LVGETE o Veneres, Cupidinesque,
 Et quantum est hominum venustiorum.
 Passer mortuus est meæ puellæ,
 Passer delitiæ meæ puellæ,
 Quem plus illa oculis suis amabat.
 Nam mellitus erat: suamque norat
 Ipsam tam bene, quam puella matrem:
 Nec sese a gremio illius mouebat,
 Sed circumfiliens modo huc, modo illuc,
 Ad solam dominam vsque pipilabat.
 Qui nunc it per iter tenebricosum
 Illuc, vnde negant redire quenquam.
 At vobis male sit male tenebræ
 Orci, quæ omnia bella deuoratis:
 Tam bellum mihi passerem abstulistis.
 O factum male, o miselle passer,
 Tua nunc opera meæ puellæ
 Flendo turgiduli rubent ocelli.

PHASELLVS ille, quem videtis hospites,
 Ait fuisse nauium celerrimus,
 Neque vllius natantis impetum trabis
 Nequisse præterire: sine palmulis

Opus foret volare, siue linteo.
 Et hoc negat minacis Adriatici
 Negare litus, infulasue Cycladas,
 Rhodumue nobilem, horridamue Thraciam,
 Propontida, truce mue Ponticum sinum:
 Vbi iste postphasellus antea fuit
 Comata silua . nam Cythorio in iuga
 Loquente sepe sibilum edidit coma.
 Amasri pontica, & Cythore buxifer,
 Tibi hæc fuisse, & esse cognitisima
 Ait phasellus. vltima ex origine
 Tuo sterisse dicit in cacumine:
 Tuo imbuisse palmulas in æquore:
 Et inde tot per impotentia freta
 Herum tulisse: leua, siue dextera
 Vocaret aura, siue vtrumque Iuppiter
 Simul secundus incidisset in pedem.
 Neque vlla vota litoralibus Deis
 Sibi esse facta, quum veniret a mare
 Nouissimo hunc ad vsque limpidum lacum,
 Sed hæc prius fure: nunc recondita
 Senet quiete, seque dedicat tibi
 Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

VIVAMVS, mea Lesbia, atque amemus,
 Rumoresque senum seueriorum
 Omnis vnus aestimemus assis.
 Soles occidere, & redire possunt:
 Nobis, quum semel occidit breuis lux,
 Nox est perpetua vna dormienda.
 Da mi basia mille, deinde centum,
 Dein mille altera, dein secunda centum,

Dein vsque altera mille, deinde centum.
 Dein quum millia multa fecerimus,
 Conturbabimus illa, ne sciamus:
 Aut ne quis malus inuidere possit,
 Quum tantum sciat esse basiorum.

FLAVI delicias tuas Catullo,
 Ni sint illepidae, atque inelegantes,
 Velles dicere, nec tacere posses.
 Verum nescio quid febriculosi
 Scorti diligis. hoc pudet fateri.
 Nam te non viduas iacere noctes
 Nequicquam tacitum cubile clamat,
 Sertis ac Syrio flagrans oliuo.
 Puluinusque peræque hic, & illic
 Attritus, tremulique quassa lecti
 Argutatio, inambulatio que.
 Nam ni supra, valet nihil tacere
 Curuantem latera exfututa panda,
 Noctu quid facias ineptiarum.
 Quare quicquid habes boni, malique,
 Dic nobis. volo te, ac tuos amores
 Ad celum lepido vocare versu.

QVAERIS quot mihi basiationes
 Tuae, Lesbia, sint satis, superque?
 Quam magnus numerus Libysæ arenæ
 Laferpiciferis iacet Cyrenis
 Oraclum Iouis inter astuosi,
 Et Batti veteris sacrum sepulchrum:
 Aut quam sidera multa, quum tacet nox,
 Furtiuos hominum vident amores:

Tam te basia multa basiare
 Vesano satis, et super Catullo est,
 Quæ nec pernumerare curiosi
 Possint, nec mala fascinare lingua.

MISER Catulle desinas ineptire,
 Et quod vides peris̄se, perditum ducas.
 Fulsero quondam candidi tibi soles,
 Quum ventitabas, quo puella ducebat
 Amata nobis, quantum amabitur nulla.
 Ibi illa multa tam iocosa siebant,
 Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
 Fulsero vere candidi tibi soles.
 Nunc iam illa non volt, tu quoque impote *
 Nec quæ fugit sectare, nec miser viue:
 Sed obstinata mente perfer, obdura.
 Vale puella, iam Catullus obdurat:
 Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
 At tu dolebis, quum rogaberis nulla.
 Scelestâ rere, quæ tibi manet vita.
 Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
 Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
 Quem basiaabis? quoi labella mordebis?
 At tu Catulle destinatus obdura.

VERANNI omnibus e meis amicis
 Antistes mihi millibus trecentis:
 Venistine domum ad tuos penatis,
 Fratrisque vnanimos, tuamque matrem?
 Venisti? o mihi nunciij beati.
 Visam te incolumem, audiamque Hiberum
 Narrantem loca, facta, nationis,

A. iij.

Vt mos est tuus : applicansque collum,
Iucundum os, oculosque suauabor.
O quantum est hominum beatorum,
Quid me letius est, beatusque?

VARRVS me meus ad suos amores
Visum duxerat, e foro otiosum:
Scortillum vt mihi tum repente visum est
Non sane inlepidum, nec inuenustum.
Huc vt venimus, incidere nobis
Sermones varij : in quibus, quid esset
Iam Bithymia, quomodo se haberet,
Et quantum mihi profuisset ære.
Respondi, id quod erat : mihi neque ipsi,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Quir quisquam caput vnctius referret:
Præsertim quibus esset inrumator
Prætor, non facerent pili cohortem.
At certe tamen, inquit, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines, ego, vt puellæ
Vnum me facerem beatiorem:
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Vt, prouincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat nec hic, neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, vt decuit cinadiorem:
Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum
Istos, commodo nam volo ad Serapim
Deferrî, mane, inquit puellæ:

Istud, quod modo dixeram me habere,
 Fugit me ratio: meus sodalis
 Cinna est Caius, is sibi parauit.
 Verum vtrum illius, an mei, quid ad me?
 Vtor tam bene, quam mihi pararim.
 Sed tu insulsa male, & molesta viuis,
 Per quam non licet esse negligentem.

F V R I, & Aureli comites Catulli:

Sive in extremos penetrabit Indos,
 Litus vt longe resonante Eoa

Tunditur vnda:

Sive in Hircanos, Arabasque mollis,
 Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
 Sive qua septem geminus colorat

Aequora Nilus:

Sive trans altas gradietur Alpis,
 Caesaris visens monumenta magni
 Gallicum Rhenum, horribilis & vlti-
 mosque Britannos:

Omnia hæc, quæcunque feret voluntas
 Cælitum, tentare simul parati,
 Pauca nunciæ meæ puellæ

Non bona dicta:

Cum suis viuat, valeatque mæchis,
 Quos simul complexa tenet trecentos,
 Nullum amans vere, sed identidem omnium

Ilia rumpens.

Nec meum respectet, vt ante, amorem:

Qui illius culpa cecidit, velut prati
 Vltimi flos, prætereunte postquam
 Tactus aratro est.

A. iij.

MARRVCINE Asini, manu sinistra
 Non belle vteris in ioco, atque vino.
 Tollis lintea negligentiorum.
 Hoc falsum esse putas? fugit te inepte,
Quamuis sordida res, & inuenusta est.
 Non credis mihi? crede Pollioni
 Fratri, qui tua furtiva vel talento
 Mutari velit. est enim leporum
 Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
 Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non mouet aestimatione,
 Verum est mnemosynum mei sodalis.
 Nam sudaria Setaba ex Hiberis
 Miserunt mihi muneri Fabullus,
 Et Veranius. hoc anem necesse est,
 Vt Veraniolum meum, & Fabullum.

CAENABIS bene, mi Fabulle, apud me
 Paucis, si tibi dii fauent, diebus:
 Si tecum attuleris bonam, atque magnam
 Cœnam, non sine candida puella,
 Et vino, & sale, & omnibus cachinnis.
 Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
 Cœnabis bene. nam tui Catulli
 Plenus sacculus est araneorum.
 Sed contra accipies meros amores:
 Seu quid suauius, elegantiusue est.
 Nam vnguentum dabo, quod meæ puellæ
 Donarunt Veneres, Cupidineque:
Quod tu quum olfacies, deos rogabis,
 Totum vt te faciant, Fabulle, nasum.

Ni te plus oculis meis amarem,
 Iucundissime Calue, munere isto
 Odifsem te odio Vatimiano.
 Nam quid feci ego, quidue sum locutus,
 Quir me tot male perderes poetis?
 Isti dij mala multa dent clientis,
 Qui tantum tibi misit impiorum.
 Quod si, vt suspicor, hoc nouum, ac repertum
 Munus dat tibi Sulla literator:
 Non est mi male, sed bene, ac beate,
 Quod non dispercut tui labores.
 Dij magni horribilem, & sacrum libellum,
 Quem tu scilicet ad tuum Catullum
 Misisti, continuo vt die periret
 Saturnalibus optimo dierum.
 Non non hoc tibi, false, sic abibit.
 Nam si luxerit, ad librariorum
 Curram scrinia. Cæsios, Aquinos,
 Suffenum, omnia colligam venena,
 Ac te his supplicis remunerabor.
 Vos hinc interea valete, abite
 Illuc, vnde malum pedem tulistis,
 Sæcli incommoda, pessimi poetæ.

COMMENDO tibi me, ac meos amores,
 Aureli. veniam peto pudentem,
 Vt si quicquam animo tuo cupisti,
 Quod castum expeteres, & integellum:
 Conserues puerum mihi pudice,
 Non dico a populo. nihil veremur
 Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
 In re prætereunt sua occupati:

Verum a te metuo, tuoque pene
 In festo pueris bonis, malisque.
 Quem tu, qua lubet, vt lubet, moueto
 Quantum vis, vbi erit foris, paratum.
 Hunc vnum excipio, vt puto, pudenter:
 Quod si te mala mens, furorque vecors
 In tantam impulerit, sceleste, culpam,
 Vt nostrum insidiis caput laceffas:
 Ah tum te miserum, malique fati,
 Quem attractis pedibus, patente porta,
 Percurrent raphanique, mugilesq; .

PAEDICABO ego vos, & inrumabo

Aureli pathice, & cinæde Furi:
 Qui me ex versiculis meis putatis,
 Quod sint molliculi, parum pudicum.
 Nam castum esse decet pium poetam
 Ipsum. versiculos nihil necesse est:
 Qui tum denique habent salem, ac leporem,
 Si sunt molliculi, ac parum pudici,
 Et quod pruriat incitare possunt.
 Non dico pueris, sed his pilosis,
 Qui duros nequeunt mouere lumbos:
 Vos, quod millia multa bastorum
 Legistis, male me marem putatis:
 Siqua forte mearum ineptiarum
 Lectores eritis, manusque vostras
 Non horrebis admouere nobis:
 Pædicabo ego vos, & inrumabo.

O colonia, quæ cupis ponte ludere longo,
 Et salire paratum habes: sed vereris inepta

Crura ponticuli adsulitantis, inrediniuus
 Ne supinus eat, cauaque in palude recumbat:
 Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
 In quo vel salisubfili sacra suscipiunt:
 Munus hoc mihi maximi da, colonia, risus.
 Quendam municipem meum de tuo volo ponte
 Ire precipitem in lutum per caputque, pedesque:
 Verum totius ut lacus putidaque paludis
 Liuidissima, maximeque est profunda vorago.
 Inulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
 Bimuli, tremula patris dormientis in vlna.
 Quoi quum sit viridissimo nupta flore puella,
 Ut puella tenellulo delicatior haedo,
 Afferuanda nigerrimis diligentius vuis:
 Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit vni,
 Nec se subleuat ex sua parte: sed velut abnus
 In fossa liguri iacet subpernata securi,
 Tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit vsquam:
 Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
 Ipse quis sit, vtrum sit, an non sit, id quoque nescit.
 Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
 Si pote stolidum repente excitare veternum,
 Et supinum animum in graui derelinquere caeno:
 Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

AVRELI pater esuritionum,
 Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
 Aut sunt, aut aliis erunt in annis:
 Paedicare cupis meos amores,
 Nec clam: nam simul exiocaris vna,
 Haerens ad latus, omnia experibis.
 Frustra, nam insidias mihi instruentem

Tangam te prius inrumati one.
 Atqui si id faceres satur, ta cerem.
 Nunc ipsum id doleo, quod esurire
 Ah me me puer, & sitire discet.
 Quare desine, dum licet pudico:
 Ne finem facias, sed inrumatus.

SVFFENVVS iste, Varre, quem probe nosti,
 Homo est venustus, & dicax, & vrbanus,
 Idemque longe plurimos facit versus.
 Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
 Perscripta: nec sic, vt fit in palimpsesto,
 Relata. chartæ regie, noui libri,
 Noui vmbilici, lora rubra, membrana
 Directa plumbo, & pumice omnia equata.
 Hæc quum legas, tum bellus ille, & vrbanus
 Suffenus vnus caprimulgus, aut fossor
 Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
 Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
 Aut siquid hac re tritius videbatur,
 Idem insiceto est insicetior rure:
 Simul poemata attigit, neque idem vnquam
 Aequè est beatus, ac poema quum scribit.
 Tam gaudet in se, tamque seipse miratur.
 Nimirum idem omnes fallimur. neque est quisquam,
 Quem non in aliqua re videre Suffenum
 Possis. suus quoique adtributus est error.
 Sed non videmus, manticæ quid in tergo est.

FVRI, quoi neque seruus est, neque arca,
 Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
 Verum est & pater, & nouerca, quorum

Dentes vel silicem comesse possunt:

Est pulchre tibi cum tuo parente,

Et cum coniuge lignea parentis.

Nec mirum. bene nam valetis omnes,

Pulchre concoquitis, nihil timetis,

Non incendia, non grauis ruinas,

Non facta impia, non dolos veneni,

Non casus alios periculorum.

Atqui corpora sicciora cornu,

Aut siquid magis aridum est, habetis,

Sole, & frigore, & esuritione:

Quare non tibi sit bene, ac beate?

A te sudor abest, abest salina,

Mucusque, & mala pituita nasi.

Hanc ad munditiem adde mundiozem,

Quod culus tibi purior salillo est,

Nec toto decies cacas in anno,

Atque id durius est faba, & lapillis:

Quod tu si manibus teras, fricesque,

Non vnquam digitum inquinare posses.

Hæc tu commoda tam beata, Furi,

Noli spernere, nec putare parui.

Et sestertia, quæ soles precari,

Centum, desine. nam sat es beatus.

Qui sterculus es Iuuentiorum,

Non horum modo, sed quot aut fuerunt,

Aut posthac alius erunt in annis:

Malletem diuitias mihi dedisses

Isti, quoi neque seruus est, neque arca:

Quam sic te sineres ab illo amari.

Qui? non est homo bellus, inquires? est:

Sed bello huic neque seruius est, neque arca.
 Hec tu quam lubet abijce, elenaque:
 Nec seruum tamen ille habet, neque arcam.

CINAED E Thalle mollior cuniculi capillo,
 Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
 Vel pene languido senis, situque araneoso:
 Idemque Thalle turbida rapacior procella,
 Quum de via mulier aues ostendit oscitantes.
 Remitte pallium mihi meum, quod inuolasti,
 Sudariumque setabum, catagraphosque thynos
 Inepte: quæ palam soles habere tanquam auita,
 Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte,
 Ne lancum latusculum, natisque mollicellas,
 Inlusa turpiter tibi flagella conscribillent.
 Et insolenter æstues, velut minuta magno
 Deprensa nauis in mari desaniente vento.

FVRI, villula nostra non ad Austri
 Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
 Nec scui Boreæ, aut Apeliore:
 Verum ad millia quindecim, & ducentos.
 O ventum horribilem, atque pestilentem.

MINISTER vetuli puer falerni,
 Inger mi calices amariores,
 Vt lex Posthumicæ iubet magistræ
 Ebriosa acina ebriosioris,
 At vos quo lubet hinc abite lymphæ,
 Vini pernicies, & ad seucros
 Migrate, hic merus est Thyonianus.

PISONIS comites, cohors inanis,
 Apts sarcinulis, & expeditis,
 Verani optime, tuque mi Fabulle:
 Quid rerum geritis? satisne cum isto
 Vappa, frigoraque, & famem tulistis?
 Ecquidnam in tabulis patet lucelli
 Expensum? vt mihi, qui meum secutus
 Pratorem, refero datum lucello:
 O Memmi bene me, ac diu supinum
 Tota ista trabe lentus inrumasti:
 Sed, quantum video, pari fuistis
 Casu, nam nihilo minore verpa
 Farti estis, pete nobiles amicos.
 At vobis mala multa Di, Deaque
 Dent, opprobria, Romuli, Remique.

QUIS hoc potest videre, quis potest pati,
 Nisi impudicus, & vorax, & belluo:
 Mamurram habere, quod comata Gallia
 Habebat, vinctum, & vltima Britannia?
 Cinade Romule hæc videbis & feres?
 Es impudicus, & vorax, & belluo.
 Et ille nunc superbus, & superfluens
 Perambulabit omnium cubilia,
 Vt albulus columbus, aut Adoneus?
 Cinade Romule hoc videbis, & feres?
 Es impudicus, & vorax, & belluo.
 Eone nomine, imperator vnice,
 Fuisti in vltima Occidentis insula:
 Vt ista vostra diffututa mentula
 Ducenties comisset, aut trecenties?
 Quid? est alid, sinistra liberalitas?

Parum expatruuit ? an parum belluatus est?

Paterna prima lancinata sunt bona:

Secunda præda Pontica: inde tertia

Hibera: quas & annis aurifer Tagus

Inundat, extimæ ecce Lusitania.

Quid hunc, malum, foueris ? aut quid hic potest,

Nisi vincta deuorare patrimonia?

Eone nomine, imperator vnice,

Socer, generque perdidistis omnia?

ALPHENE immemor, atque vnanimis false sodalibus:

Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:

Iam me prodere, iam non dubitas fallere perfide.

Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent,

Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.

Heu heu quid faciant, dic, homines, quouiue habeat fides?

Certe tute iubebas animam tradere, inique me

Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.

Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque

Ventos inrita ferre, & nebulas aereas sinis.

Si tu oblitus es, at dij meminerrunt, meminit Fides.

Quæ te vt pœniteat postmodo facti faciet tui.

PENINSVLARVM Sirmio, insularumque

Ocelle, quasunque in liquentibus stagnis

Marique vasto fert vterque Neptunus:

Quam te libenter, quamque letus inuiso,

Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos

Liquisse campos, & videre te in tuto.

O quid solutus est beatius curis?

Quum mens onus reponit, ac peregrino

Labore sèsi venimus larem ad nostrum,

Desidera-

Desideratoque acquiescimus lecto.
 Hoc est, quod vnum est pro laboribus tantis.
 Salue, o venusta Sirmio, atque hero gaude,
 Gaudete, vosque ludæ lacus vnde.
 Ridete quicquid est domi cachinnorum.

AMABO mea dulcis Hypsithilla,
 Mæa delicia, mei lepores,
 Iube ad te veniam meridiatum.
 Quod si iusseris, illud adiunato,
 Ne quis liminis obseret tabellam,
 Neu tibi lubeat foras abire:
 Sed domi maneat, paresque nobis
 Nouem continuas fututiones.
 Verum si quid ages, statim iubero:
 Nam pransus iaceo, & satur supinus
 Pertundo tunicamque, palliumque.

OFVRVM optime balneariorum
 Vibenni pater, & cin. ede filii:
 Nam dextra pater inquinatiore,
 Culo filius est voraciore:
 Quur non exilium, malisque in oras
 Itis quandoquidem patris rapinæ
 Notæ sunt populo, & natis pilosus,
 Fili, non potes asse venditare?

DIANAE sumus in fide
 Puellæ, & pueri integri:
 Dianam pueri integri,
 Puellæque canamus.

OLATONIA maximi

Magna progenies Iouis,
 Quam mater prope Deliam
 Deposuit oliuam,
 Montium domina vt fores,
 Siluarumque virentium,
 Saltuumque reconditorum,
 Anniumque sonantum.
 Tu Lucina dolentibus
 Iuno dicta puerperis:
 Tu potens triuia, & notho es
 Dicta lumine luna.
 Tu cursu, dea, menstruo
 Metiens iter annuum,
 Rustica agricolae bonis
 Tecta frugibus explēs.
 Sis quocunque tibi placet
 Sancta nomine, Romulique
 Ancique, vt solita es, bona
 Sospites ope gentem.

P O E T A E tenero meo sodali
 Velim Cæcilio, papyre, dicas:
 Veroniam veniat, Noui relinquens
 Comi mænia, Lariumque litus.
 Nam quasdam volo cogitationes
 Amici accipiat sui, meique.
 Quare si sapiet, viam vorabit,
 Quannus candida millies puella
 Euntē reuocet, manusque collo
 Ambas iniiciens roget morari:
 Quæ nunc, si mihi vera nunciatur,
 Illum deperit impotente amore.

Nam quo tempore legit inchoatam
 Dindymi dominam: ex eo misellæ
 Ignes interiorem edunt medullam.
 Ignosco tibi Sapphica puella,
 Musa doctior. est enim venuste
 Magna Cæcilio inchoata mater.

ANNALES Volusi cacata charta,
 Votum soluite pro mea puella.
 Nam sancte Veneri, Cupidinique
 Vouit, si sibi restitutus essem,
 Desissemque trucus vibrare iambos:
 Electissima pessimi poetæ
 Scripta, tardipedi deo daturam
 Infelicibus vstulanda lignis.
 Et hæc pessima se puella vidit
 Ioco se lepide vouere diuis.
 Nunc o cæruleo creata ponto,
 Quæ sanctum Idalium,* Vriosque apertos,
 Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
 Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
 Quæque Durachium Adria tabernam:
 Acceptum face, redditumque votum,
 Si non inlepidum, neque inuenustum est:
 At vos interea venite in ignem
 Pleni ruris, & inficetiarum
 Annales Volusi cacata charta.

SALAX taberna, vosque contubernales,
 Apileatis nona fratribus pila,
 Solis putatis esse mentulas vobis?
 Solis licere, quicquid est puellarum

Confutuere, & putare ceteros hircos?
 An, continenter quod sedetis insulsi
 Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
 Me vna ducentos inrumare seffores?
 Atqui putate. nanque totius vobis
 Frontem tabernæ scipionibus scribam.
 Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,
 Amata tantum, quantum amabitur nulla,
 Pro qua mihi sunt magna bella pugnata:
 Confedit istic. hanc boni, beatique
 Omnes amatis: & quidem, quod indignum est,
 Omnes pusilli, & semitarij mæchi.
 Tu præter omnis vne de capillatis
 Cuniculose Celtiberie fili
 Egnati, opaca quem facit bonum barba,
 Et dens Hibera defricatus vrina.

M A L E est Cornifici tuo Catullo,
 Male est mehercule, & laboriose:
 Magisque, & magis in dies, & horas
 Irascor tibi, sic meos amores.
 Quem tu, quod minimum, facillimumque est:
 Qua solatus es adlocutione?
 Paulum quidlibet adlocutionis,
 Mæstius lacrimis Simonideis.

E G N A T I V S, quod candidos habet dentis,
 Renidet vsquequaque: seu ad rei ventum est
 Subsëllium, quum orator excitat fletum,
 Renidet ille: seu pij ad rogum filij
 Lugetur, orba quum flet vnicum mater,
 Renidet ille: quicquid est, vbicumque est,

Quodcunque agit, renidet. hunc habet morbum
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.

Quare monendus es mihi. bone Egnati,
si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obesus Hetruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lauit dentis:

Tamen renidere vsquequaque te nollem.

Nam risu inepto res ineptior nulla est.

Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque rissam defricare gingiuam.
Ut quo iste vester expolitiore dens est,
Hoc te amplius bibisse praedicet lotij.

QV AENAM te mala mens, miselle Rauide,

Agit praecipitem in meos iambo?

Quis Deus tibi non bene aduocatus,

Vecordem parat excitare rixam?

Anne ut peruenias in ora Volgi?

Quid vis? qua lubet, esse notus optas?

Eris: quandoquidem meos amores

Cum longa voluisti amare paena.

AH me, an illa puella defutura

Tota millia me decem poposcit?

Ista turpiculo puella naso,

Decoctoris amica Formiani?

Propinqui, quibus est puella cura,

Amicos, medicosque conuocate.

Non est sana puella. nec rogate

B. iij.

Qualis sit. solet hæc imaginofum.

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
 Omnes vndique, quot quot estis omnes.
 Iocum me putat esse mæcha turpis,
 Et negat mihi vostra reddituram
 Pugillaria: si pati potestis,
 Persequamur eam, & reflagitemus.
 Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
 Turpe incedere mimice, ac moleste,
 Ridentem catuli ore Gallicani.
 Circumsistite eam, & reflagitate:
 Mæcha putida redde codicillos.
 Redde putida mæcha codicillos.
 Non astis facis? o lutum, lupanar,
 Aut si perditius potest quid esse.
 Sed non est tamen hoc satis putandum.
 Quod si non aliud potest, ruborem
 Ferreo canis exprimamus ore,
 Conclamate iterum altiore voce:
 Mæcha putida redde codicillos,
 Redde putida mæcha codicillos.
 Sed nil proficimus, nihil monetur.
 Mutanda est ratio, modusque vobis,
 Si quid proficere amplius potestis.
 Pudica, & proba redde codicillos.

SALVE nec nimio puella naso,
 Nec bello pede, nec nigris acellis,
 Nec longis digitis, nec ore sicco,
 Nec sane nimis elegante lingua,
 Decoctoris amica Formiani.

Ten' provincia narrat esse bellam?
 Tecum Lesbia nostra comparatur?
 O saeculum insipiens, & inficetum.

O FVND E noster, seu Sabine, seu Tiburs,
 Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
 Cordi Catullum ledere. at quibus cordi est,
 Quis Sabinum pignore esse contendunt.
 Sed seu Sabine. siue verius Tiburs,
 Fui libenter in tua suburbana
 Villa, malamque pectore expuli tussim:
 Non immerenti quam mihi meus venter,
 Dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.
 Nam Sexti. anus dum volo esse conuiuia,
 Orationem in Attium petitorum
 Plenam veneni, & pestilentiae legit,
 Hic me grauedo frigida, & frequens tussis
 Quassauit, vsquedum in tuum sinum fugi,
 Et me procuravi ocimoque, & vrtica.
 Quare refectus maximas tibi gratis.
 Ago, meum quod non es vltia peccatum.
 Nec deprecor iam, si nefaria scripta
 Sexti recepto: quin grauedinem, & tussim
 Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
 Qui tunc vocat me, quum malum legit librum.

A C M E N Septimius suos amores
 Tenens in gremio, Mea inquit Acme,
 Ni te perdit amo, atque amare porro
 Omnis sum asidue paratus annos,
 Quantum qui pote plurimum perire:
 solus in Lybia, Indiaque tosta,

B. iij.

Cæſio veniam obuius leoni.
 Hoc vt dixit, Amor ſiniſtra* vt ante,
 Dextram ſternuit ad probationem.
 At Acme leuiter caput reflectens,
 Et dulcis pueri ebrios ocellos,
 Illo purpureo ore ſuauata,
 Sic inquit, Mea vita ſeptimille,
 Huic vno domino vſque ſeruiamus:
 Vt multo mihi maior, acriorque
 Ignis mollibus ardet in medullis.
 Hoc vt dixit, Amor ſiniſtra, vt ante,
 Dextram ſternuit ad probationem.
 Nunc ab auſpicio bono profecti,
 Mutuis animis amant, amantur.
 Vnam ſeptimius miſellus acmen
 Mauolt, quam ſyrias, Britanniaſque,
 Vno in ſeptimio fidelis acme
 Facit delitias, libidineſque.
 Quis vllos homines beatioreſ
 Vidit? quis venerem auſpicioreme?

I A M ver egeſidos refert tepores,
 Iam celi furor æquinoctialis
 Iucundis Zephyri ſileſcit auris:
 Linquntur Phrygiæ, Catulle, campi,
 Nicæque ager vber æſtuoſe.
 Ad claras Aſie volumus vrbiſ.
 Iam menſ prætrepidans auct vagari.
 Iam leti ſtudio pedes vigeſcunt.
 O dulces comitum valete cætus,
 Longe quos ſimul a domo profectos,
 Diuerſe varia viæ reportant.

PORCI, & Socraton, duæ sinistrae
 Pisonis scabies, famesque Memmi:
 Vos Veraniolo meo, & Fabullo
 Verpus præposuit Priapus ille?
 Vos conuiuia lauta sumptuose
 De die facitis, mei sodales
 Querunt in triuio uocationes?

MELLITOS oculos tuos, Inuenti,
 Si quis me sinat vsque basiare,
 Vsque ad milliabasiem trecenta,
 Nec vnquam saturum inde cor futurum est:
 Non si densior aridis aristis
 Sit nostræ seges osculationis.

DISERTISSIME Romuli nepotum,
 Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
 Quotque post alius erunt in annis:
 Gratias tibi maximas Catullus
 Agit pessimus omnium poeta:
 Tanto pessimus omnium poeta,
 Quanto tu optimus omnium patronus.

HESTERNO, Licini, die otiosi
 Multum lusimus in meis tabellis,
 Ut conuenerat esse delicatos.
 Scribens versiculos vterque nostrum,
 Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
 Reddens mutua per iocum, atque vinum.
 Atque illinc abij, tuo lepore
 Incensus, Licini, facetijsque,
 Ut nec me miserum cibus iuuaret,

Nec somnus tegetet quiete ocellos:
 Sed toto indomitus furore lecto
 Versarer, cupiens videre lucem,
 Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
 At defessa labore membra postquam
 Semimortua lectulo iacebant,
 Hoc, incunde, tibi poema feci,
 Ex quo perspiceres meum dolorem.
 Nunc audax, caue, sis: procepsque nostras
 Oramus, caue de spuas ocello,
 Ne pœnas Nemesis reposcat a te.
 Est vehemens dea, ledere hanc caueto.

ILLE mi par esse deo videtur,
 Ille si fas est, superare diuos,
 Qui sedens aduersus identidem te
 spectat, & audit

Dulce ridentem, misero quod omnis
 Eripit sensus mihi: nam simul te
 Lesbia adspexi, nihil est super mi

Lingua sed torpet. tenuis sub artus
 Flamma demanat, sonitu suo pre
 Tintinant aures. gemina teguntur
 Lumina nocte.

Otium, Catulle, tibi molestum est.
 Otio exultas, nimiumque gaudes.
 Otium reges prius, & beatas
 Perdedit vrbes.

QUID est, Catulle, quid moraris emorire?
 Sella in curuli Struma Nonius sedet.

Per consulatum peierat Vatinius.
 Quid est, Catulle, quid moraris emori?

RISI nescio quem modo in corona,
 Qui, quum mirifice Vatiniā
 Meus crimina Caluus explicasset,
 Admirans ait hæc, manusque tollens:
 Di magni, salaputium disertum.

OTHONIS caput oppido pusillum
 Peri, rustice, semilauta crura,
 Subtile, & leue peditum Libonis:
 Si non omnia displicere vellem
 Tibi, & Fuffitio seni recocto.
 Irascere iterum meis Iambis
 Immerentibus, vnice imperator.

ORAMVS, si forte non molestum est,
 Demonstres vbi sunt tuæ tenebræ.
 Te campo quasiuimus minore
 Te in circo, te in omnibus libellis.
 Te in templo superi Iouis sacro,
 In Magni simul ambulatione:
 Fæmellas omnis, amice, prendi.
 Quas voltu vidi tamen sereno,
 Has vel te sic ipse flagitabam:
 Camerium mihi, pessimæ puellæ.
 Quædam, inquit, nudum sinum reducens,
 En hic in roseis latet papillis.
 Sed te iam ferre Herculei labos est.
 Tanto te in fastu negas, amice.
 Dic nobis vbi sis futurus, ede hoc

Audacter: committe, crede luci.
 Num te lacteola tenent puellæ?
 Si linguam clauso tenes in ore,
 Fructus proijcies amoris omnis.
 Verbose gaudet Venus loquela.
 Vel si vis, licet obseres palatum,
 Dum vestri sim particeps amoris:
 Non custos si fingar ille Cretum,
 Non si Pegasus ferar volatu,
 Non Ladas si ego, pennipesue Perseus,
 Non Rhesi niueæ citæque bigæ:
 Adde huc plumipedes, volatilesque,
 Ventorumque simul require cursum,
 Quos iunctos, Cameri, mihi dicares:
 Defessus tamen omnibus medullis,
 Et multis languoribus peresus
 Essem, te, mi amice, queritando.

OREM ridiculam, Cato, & iocosam,
 Dignamque auribus, & tuo cachinno.
 Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
 Res est ridicula, & nimis iocosa.
 Deprendi modo pupulum puellæ
 Trusantem, hunc ego, si placet Dionæ,
 Protelo rigida mea cecidi.

PVLCHRE conuenit improbis cinædis
 Mamurræ pathicoque, Casarique,
 Nec mirum: maculæ pares vtrisque,
 Urbana altera, & illa Formiana,
 Impresse resident, nec eluentur.
 Morbosi pariter, gemelli vtrique.

Vno in lectulo, erudituli ambo:
 Non hic, quam ille magis vorax adulter.
 Riuales socij puellularum.
 Pulchre conuenit improbis cinædis.

C A E L I, Lesbia nostra, Lesbia illa,
 Illa Lesbia, quam Catullus vnam
 Plus, quam se, atque suos amauit omnis:
 Nunc in quadriuis, & angiportis,
 Glubit magnanimos Remi nepotes.

B O N O N I E N S I S Rufa Rufulum fallat.
 Vxor ne Meni, sepe quam in sepulchretis
 Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
 Quum deuolutum ex igne prosequens panem
 Ab semiraso tunderetur vstore?
 Num te læna montibus Libyftinis,
 Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
 Tam mente dura procreauit, ac tetra:
 Vt supplicis vocem in nouissimo casu
 Contentam haberes? o nimis fero corde.

C O L L I S o Heliconci
 Cultor, Vrania genus,
 Qui rapis teneram ad virum
 Virginem o Hymenæe Hymen,
 O Hymen Hymenæe.
 Cinge tempora floribus,
 Suauolentis amaraci.
 Flammeum cape. letus huc
 Huc veni niueo gerens
 Luteum pede soccum.

Excitusque hilari die,
 Nuptialia concinens
 Voce carmina tinnula,
 Pelle humum pedibus. manū
 Pineam quate tedam.

Nanque Iulia Manlia,
 Qualis Idaliū colens
 Venit ad Phrygium Venus
 Iudicem, bona cum bona
 Nubit alite virgo;

Floridis velut enitens
 Myrtus Asiā ramulis,
 Quos Hamadryades deæ
 Ludicrum sibi roscido
 Nutriunt humore.

Quare age huc aditum ferens
 Perge linquere Thespie
 Rupis Aonios specus,
 Lympha quos super inrigat
 Frigerans Aganippe.

Ac domum dominam voca
 Coniugis cupidam noui,
 Mentem amore reuinciens,
 Vt tenax hedera huc, & huc
 Arborem implicat errans.

Vos item simul integre
 Virgines, quibus aduenit
 Par dies, agite, in modum
 Dicite: o Hymen.æe Hymen,
 Hymen o Hymen.æe;

Vt lubentius audiens,
 Se citatier ad suum

Munus, huc aditum ferat

Dux bonæ Veneris, boni

Coniugator amoris.

Quis Deus magis ah magis

Est petendus amantibus?

Quem colent homines magis

Cælitum? o Hymenæe Hymen,

Hymen o Hymenæe.

Te suis tremulus parens

Inuocat, tibi virgines

Zonula soluunt sinus,

Te timens cupida nouos

Captat aure maritos.

Tu fero iuueni in manus

Floridam ipse puellulam

Matris e gremio suæ

Dedis. o Hymenæe Hymen,

Hymen o Hymenæe.

Nil potest sine te Venus

Fama quod bona comprobet,

Commodi capere. at potest,

Te volente. quis huic deo

Compararier ausit?

Nulla quit sine te domus

Liberos dare, nec parens

Stirpe iungier. at potest,

Te volente. quis huic Deo

Compararier ausit?

Quæ tuis carcat sacris

Non queat dare præfides

Terra finibus. at queat,

Te volente. quis huic deo

Compararier aufit?

Claustrapandite ianuae.

Virgo adest. viden, vt faces

splendidas quatiunt comas?

Sed moraris, abit dies,

Prodeas noua nupta.

Tardet ingenuus pudor,

Quae tamen magis audiens

Flet, quod ire necesse sit.

Sed moraris, abit dies,

Prodeas noua nupta.

Fleredesine. non tibi

Aurunculecia periculum est,

Nequa femina pulchrior

Clarum ab Oceano dicim

Viderit venientem.

Talis in vario solet

Diuitis domini hortulo

Stare flos Hiacynthinus.

Sed moraris, abit dies,

Prodeas noua nupta.

Prodeas noua nupta sis:

(Iam videtur) vt audias

Nostra verba. (viden ? faces

Aureas quatiunt comas.)

Prodeas noua nupta.

Non tuus leuis in mala

Deditus vir adultera

Proca, turpia persequens,

A tuis teneris volet

Secubare papillis:

Lenta qui velut astitas

Vitis implicat arbores,
 Implicabitur in tuum
 Complexum. sed abit dies,
 Prodeas noua nupta.

* *
 * *

O cubile, quot (o nimis
 Candido pede Lecti)

Que tuo veniunt hero,
 Quanta gaudia, quæ vaga
 Nocte, quæ media die
 Gaudeat. sed abit dies,
 Prodeas noua nupta.

Tollite, o pueri, faces,
 Flammeum video venire.
 Ite, concinite in modum,
 Io Hymen Hymenæe io,
 Io Hymen Hymenæe.

Nec diu taceat procax
 Fescenina locutio,
 Neu nucis pueris neget
 Desertum domini audiens
 Concubinus amorem.

Da nucis pueris iners
 Concubine. satis diu
 Lufisti nucibus. lubet
 Iam seruire Thalasso.
 Concubine nucis da.

Sordebant tibi villicæ,
 Concubine, hodie, atque heri:
 Nunc tuum cinerarius

in nec
 Cija

Tondet os, miser ah miser
Concubine, nucis da.

Diceris male te a tuis
Vnguentate glabris maritæ
Abstincere, sed abstinere.

Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Scimus hæc tibi, qua licent
Sola cognita: sed marito
Ista non eadem licent.

Io Hymen Hymenæe io
Io Hymen Hymenæe.

Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, caue ne neges:
Ne petitum aliunde eat.

Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,

Quæ tibi sene seruiet:
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Vsq̄ue dum tremulum mouens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.

Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedis,
Rasilemque subi forem.

Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Adspice imus ut accubans

Vir tuus Tyrio in toro,

Totus immineat tibi.

Io Hymen Hymenæe io,

Io Hymen Hymenæe.

Illi non minus, ac tibi

Pectore vritur intimo,

Flamma, sed penite magis.

Io Hymen Hymenæe io,

Io Hymen Hymenæe.

Mitte brachiolum teres

Prætextate puellule.

Iam cubile adeant viri.

Io Hymen Hymenæe io,

Io Hymen Hymenæe.

Vos bonæ senibus viris

Cognita breue fæminæ,

Collocate puellulam.

Io Hymen Hymenæe io,

Io Hymen Hymenæe.

Iam licet venias, marite.

Vxor in thalamo est tibi

Ore floridulo nitens:

Alba parthenice velut,

Luteumue papauer.

At, marite, ita me iuuent

Cælitæ, nihilominus

Polcher es, neque te Venus

Negligit, sed abit dies:

Perge, ne remorare.

Non diu remoratus es.

Iam venis, bona te Venus

Iuuerit: quoniam palam

- Quod cupis, capis, & bonum
 Non abscondis amorem.
 Ille polueris* erithei
 Siderumque micantium
 Subducatur numerum prius,
 Qui vestri numerare volt
 Multa millia ludi.
- Ludite, vt lubet, & breui
 Liberos date. non decet
 Tam vetus sine liberis
 Nomen esse: sed indidem
 Semper ingenerari.
- Torquatus volo paruolus
 Matris e gremio sua
 Porrigens teneras manus,
 Dulce rideat ad patrem,
 Semibiante labello.
- Sit suo similis patri
 Manlio, & facile inscius
 Noscitur ab omnibus,
 Et pudicitiam sua
 Matris indicet ore.
- Talis illius a bona
 Matre laus genus approbet,
 Qualis vnica ab optima
 Matre Telemacho manet
 Fama Penelopeo.
- Claudite ostia virgines.
 Lusinus satis, at boni
 Coniuges bene viuite, &
 Munere assiduo valentem
 Exercete iuuentam.

VESPER adest, iuuenes. consurgite. vesper Olympo
 Expectata diu vix tandem lumina tollit.
 Surgere iam tempus, iam pinguis linqvere mensas,
 Iam veniet virgo, iam dicitur Hymenæus.
 Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

Cernitis, innuptæ, iuuenes? consurgite contra.
 Nimirum oceano se ostendit noctifer imbre.
 Sic certe, vident? vt pernisiater exilueret?
 Non temere exilueret. cauent quo iure parent se.
 Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

Non facilis nobis, æquales, palma parata est.
 Adspicite, innuptæ secum vt meditata requirant.
 Non frustra meditatur. habet memorabile quod sit.
 Nos alio mentis, alio diuisimus auris.
 Iure igitur vincemur, amat victoria curam.
 Quare nunc animos saltem committite vestros:
 Dicere iam incipient, iam respondere decebit:
 Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

Hespere, qui celo fertur crudelior ignis?
 Qui natam possis complexu auellere matris,
 Complexu matris retinentem auellere natam,
 Et iuueni ardenti castam donare puellam?
 Quid faciant hostes capta crudelius vrbe?
 Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

Hespere, qui celo lucet iucundior ignis?
 Qui desponsa tua firmes connubia flamma?
 Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
 Nec iunxere prius, quam se tuus extulit ardor.
 Quid datur a diuis felici optatius hora?
 Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

Hesperus e nobis, æquales, abstulit vnã.

C. iij.

Nanque tuo aduentu vigilat custodia semper.
 Nocte latent fures, quos idem saepe reuertens
 Hespere mutato comprehendis nomine eosdem.
 At lubet immuptis ficto re carpere questu.
 Quid tum si carpunt tacita quem mente requirunt?

Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.
 Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
 Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
 Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber;
 Multi illum pueri, multæ optauere puellæ,
 Idem quum tenui carptus defloruit vngui,
 Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
 Sic virgo dum intacta manet, tum cara suis, sed
 Quum castum amisit polluto corpore florem,
 Nec pueris incunda manet, nec cara puellis.
 Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur aruo,
 Nunquam se extollit, nunquam mitem educat vna;
 Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
 Iam iam contingit summum radice flagellum,
 Hanc nulli agricolæ, nulli accolluere iuueni:
 At si forte eadem est vltimo coniuncta marito,
 Multi illam agricolæ, multi accolluere iuueni:
 Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit,
 Quum par connubium maturo tempore adepta est,
 Cara viro magis, et minus est inuisa parenti.

At tu ne pugna cum tali coniuge virgo,
 Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
 Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
 Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
 Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
 Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
 Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
 Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.

SUPER alta vectus Atys celeri rate maria
 Phrygium nemus citato cupido pede tetigit,
 Adijtque opaca siluis redimita loca deæ:
 Stimulatus vbi furenti rabie, vagus animi
 Deuoluit illa acuta sibi pondera silice.
 Itaque vt relicta sensit sibi membra sine viro:
 Et iam recente terræ sola sanguine maculans,
 Niueis citata cæpit manibus leue typanum,
 Typanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia.
 Quatenusque terga tauri teneris caua digitis,
 Canere hoc suis adorta est tremebunda comitibus:
 Agite ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul,
 Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
 Aliena quæ petentes, velut exules, loca
 Sectam meam executæ, duce me, mihi comites
 Rapidum salum tulistis, truculentæque pelagi,
 Et corpus euirastis Veneris nimio odio.
 Hilarate excitatis erroribus animum.
 Mora tarda mente cedat. simul ite: sequimini
 Phrygiam ad domũ, Cybelles Phrygia ad nemora deæ.
 Vbi cymbalum sonat vox, vbi tympana reboant,
 Tibicen vbi canit Phryx curuo graue calamo,

C.iiiij.

Vbi capita Menades vi iaciunt hederigeræ,
 Vbi sacra sancta acutis vlulatibus agitant,
 Vbi suenit illa diuæ volitare vaga cohors.
 Quo nos decet citatis celerare tripodijs.
 Simul hæc comitibus Atys cecinit noua mulier,
 Thiasus repente linguis trepidantibus vlulat,
 Leue tympanum remugit, caua cymbala recrepant,
 Viridem citus adit Idam properante pede chorus,
 Furibunda simul anhelans vaga vadit animo egeas
 Comitata tympano Atys per opaca nemora dux,
 Veluti iuuenca vitans onus indomita iugi.
 Rapide ducem sequuntur Gallæ pede propero,
 Itaque, vt domum Cybelles terigere lassule,
 Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
 Piger his labante langore oculos sopor operit.
 Abit in quiete molli rabidus furor animi.
 Sed vbi oris aurei sol radiantibus oculis
 Lustrauit æthera album, sola dura, mare ferum,
 Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
 Ibi somnus excitum Atyn fugiens citus abiit.
 Trepidantem eum recepit dea Pasithea sinu,
 Ita de quiete molli rabida sine rabie,
 Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit,
 Liquidaque mente vidit sine queis, vbique fores.
 Animo æstuante rusum reditum ad vada tetulit,
 Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
 Patriam adlocuta voce est ita mæsta miseriter:
 Patria o mea creatrix, patria o mea genetrix,
 Ego quam miser relinquens, dominos vt heris fugæ
 Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
 Vt apud (miser) ferarum gelida stabula forem,
 Et vt omnia carum adirem furibunda latibula:

Vbi nam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
 Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
 Rabie fera carens dum breue tempus animus est.
 Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo?
 Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
 Abero foro, palestra, stadio, & gymnasiis?
 Miser ah miser querendum est etiam atque etiam anime.
 Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?
 Ego puber, ego adolescens, ego ephæbus, ego puer,
 Ego gymnasiij fui flos, ego eram decus olci.
 Mihi ianux frequentes, mihi limina tepida,
 Mihi floridis corollis redimita domus erat,
 Linquendum vbi esset orto mihi sole cubiculum.
 Egone deum ministra, & Cybeles famula ferar?
 Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
 Ego viridis algida Idæ niue amicta loca colam?
 Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus:
 Vbi cerua siluicultrix, vbi aper nemoriuagus?
 Iam iam dolet, quod egi, iam iamque pœnitet.
 Roscis vt huic labellis palans sonitus abiit,
 Ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus,
 Geminas eorum ad aures noua nunciat ferens,
 Læuumque pecoris hostem stimulans ita loquitur:
 Agedum inquit, age ferox, i, face vt hinc furoribus,
 Face vt hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
 Mea liber ah nimis qui fugere imperia cupit.
 Age, cæde terga cauda: tua verbera patre.
 Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.
 Rutilam ferox torosa ceruice quate iubam.
 Ait hæc minax Cybelle, religatque iuga manu,
 Ferox ipse sese adhortans rapidum incitat animum:
 Vadit, fremitu, refringit virgulta pede vago.

At vbi vltima albicantis loca litoris adiit,
 Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi:
 Facit impetum . ille demens fugit in nemora fera.
 Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.
 Dea, magna dea, Cybele, Didymi dea domina,
 Procula mea tuus sit furor omnis, hera, domo.
 Alios age incitatos, alios age rabidos.

PELIACO quondam prognata vertice pinus,
 Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas
 Phasidos ad fluctus, & finis Ætæos:
 Quam leti iuvenes Argivæ robora pubis
 Auratam optantes Colchis auertere pellem,
 Ausi sunt vada falsa cita decurrere puppi,
 Carula verrentes abiegnis æquora palmis:
 Diua quibus retinens in summis vrbibus artes,
 Ipsa lenis fecit volitantem flamine currum,
 Pineæ coniungens inflexa texta carinæ.
 Illa rudem cursu prima inbuat Amphitriten:
 Quæ simulac rostro ventosum proscidit æquor,
 Totaque remigio spumis incanuit vnda,
 Emergere feri candenti e gurgite vultus
 Equoreæ monstrum Nereides admirantes,
 Illaque, atque alia viderunt luce marinas
 Mortales oculi nudato corpore Nymphas
 Nutricum tenus extantis e gurgite cano.
 Tum Thetidis Peleus incensus fertur amare,
 Tum Thetis humanos non despicit hymenæos,
 Tum Thetidi pater ipse iugandum Peleæ sensit.
 O nimis optato sæclorum tempore nati
 Heroes saluete, deum genus, o bona mater:
 Vos ego sæpe meo vos carmine compellabo.

Teque adeo eximia redis felicibus aucte
 Thessalia columen Pelœu, quoni Iuppiter ipse,
 Ipse suos diuum genitor concessit amores.
 Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
 Tene suam Tethys concessit ducere neprem?
 Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
 Quæ simul optata finito tempore luces
 Aduenere, domum conuentu tota frequentat
 Thessalia, oppletur letanti regia cœtu.
 Dona ferunt: præ se declarant gaudia voltu:
 Deseritur Scyros: relinquunt Phrhiotica Tempe,
 Graiugenasque domos, ac mœnia Larissæa,
 Pharsalon coeunt, Pharsalia recta frequentant.
 Rura colit nemo, mollescunt colla iuuençis.
 Non humilis curuis purgatur vinea rastris.
 Non glebam pronò conuellit vomere taurus.
 Non salx attenuat frondatorum arboris umbram,
 Squalida desertis robigo infertur aratris.
 Ipsi at sedes, quacunque opulenta recessit
 Regia, fulgenti splendenti auro, atque argento.
 Candet ebur solijs, collucent pocula mensæ.
 Tota domus gaudet regali splendida gaza,
 Poluinar vero diuæ geniale locatur
 Sedibus in medijs, vndo quod dente politum
 Tincta tegit roseo conchilib purpura fuco.
 Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
 Heroum mira virtutes indicat arte.
 Nanque fluentis sono prospectans litore Diæ
 Thesea cedentem celeri cum classe tnetur
 Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
 Necdum etiam, seseque sui cui* credet.
 Vtpote fallaci quæ tum primum excita somna

Desert. am in sola miseram se cernit arena.
 Immemor at iuuenis fugiens pellit vada remis,
 Inrita ventose linquens promissa procellæ,
 Quem procul ex alga mæstis Minois ocellis,
 Saxeæ vt effigies bacchantis prospicit Euxæ,
 Prospicit, et magnis curarum fluctuat vndis.
 Non flauo retinens subtilem vertice mitram,
 Non contexta leui velatum pectus amictu,
 Non tereti strophio lactantis vincta papillas:
 Omnia quæ toto delapsa e corpore passim
 Ipsius ante pedes fluctus salis allidebat.
 Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
 Illa vicem curans, toto te pectore, Theseu,
 Toto animo, tota prodebat perdita mente.
 Ah miseram asiduis quam luctibus externaui
 Spinosas Erycina serens in pectore curas.
 Illa tempestate ferox, et tempore Theseus
 Egressus curuis e litoribus Piræi
 Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
 Nam perhibent olim crudeli peste eoactam
 Androgeoneæ pœnas exoluere cadis,
 Electos iuuenes simul et decus inuuptarum
 Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
 Queis augusta malis quum mœnia vexarentur,
 Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
 Projicere optauit potius, quam talia Cretam
 Funera Cecropiæ nefunera portarentur.
 Atque ita naue leui nitens, ac lenibus auris,
 Magnanimus ad Minoa venit, sedesque superbas,
 Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
 Regia, quam suavis expirans castus odores
 Lectulus, in molli complexu matris alebat.

Qualis Eurota progignunt flumina myrtus,
 Auræ distinctos educit verna colores:
 Non prius ex illo flagrantia declinavit
 Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam.
 Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
 Heu misere exagitans inimiti corde furores.
 Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
 Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosam,
 Qualibus incensam iactastis mente puellam
 Fluctibus, in flauo sæpe hospite suspirantem?
 Quantos illa tulit languenti corde timores?
 Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri?
 Quum sæuum cupiens contra contendere monstrum,
 Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
 Non ingrata, tamen frustra, munuscula diuis
 Promittens, tacito suspendit vota labello.
 Nam velut in summo quatientem brachia tauro
 Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum,
 Indomitus turbo contorquens flamine robur
 Eruit: illa procul radicibus exturbata
 Prona cadit, lateque comminus obuia frangens:
 Sic domito sæuum prosternit corpore Theseus
 Nequicquam vanis iactantem cornua ventis.
 Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
 Errabunda regens tenui vestigia filo.
 Ne labyrinthis e flexibus egredientem
 Tecti frustraretur inobservabilis error.
 Sed quid ego a primo digressus carmine, plura
 Commemorem? vt linquens genitoris filia voltum,
 Vt consanguineæ complexum, vt denique matris,
 Quæ misera ingrata* deperdita tela
 Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?

Aut vt vecta ratis spumosa ad litora Dia?

Aut vt eam tristi desictam lumina somno

Liquerit immemori discedens pectore coniunx?

Sepe illam perhibent ardenti corde furentem,

Clarificas imo sudisse e pectore voces.

Aut tum præruptos tristem conscendere montis,

Vnde aciem in pelagi vastos proeenderet æstus:

Tum tremuli salis aduersas procurrere in undas

Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ:

Atque hæc extremis mæstam dixisse querelis,

Frigidulos vdo singultus ore cientem:

Siccine me patrijs abuectam, perfide, ab oris,

Perfide deserto liquisti in litore Theseu?

Siccine discedens neglecto numine diuum

Immemor, ah deuota domum periuria portas?

Nullane res potuit crudelis flectere mentis

Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,

Immite vt monstri vellet mirescere pectus?

At non hæc quondam nobis promissa dedisti

Voce: mihi non hoc miseræ sperare iubebas?

Sed connubia læta, sed optatos hymenæos.

Quæ cuncta aerij discerpunt irrita venti.

Tum iam nulla viro iuranti femina credat,

Nulla viri speret sermones esse fidelis:

Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,

Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.

Sed simulac cupide mentis satiata libido est,

Dicta nihil metuere, nihil periuria curant:

Certe ego te in medio versantem turbine leti

Eripui, & potius germanum amittere creui,

Quam tibi fallaci supremo in tempore decessem.

Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque

Præda, neque iniecta tumulabor mortua terra,
 Quenam te genuit sola sub rupe leena?
 Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?
 Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,
 Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
 Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
 Sæua quod horrebas prisca præcepta parentis,
 Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
 Quæ tibi iucundo famularer serua labore,
 Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
 Purpureæque tuum confertens veste cubile,
 Sed quid ego ignavis nequicquam contemneror auris,
 Externata malo, quæ nullis sensitibus aucta,
 Nec missas audire queunt, nec reddere voces?
 Ille autem prope iam medijs versatur in undis,
 Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga:
 Sic nimis insultans extremo tempore sæua
 Fors etiam nostris inuidit questibus auris.
 Iuppiter omnipotens vimam ne tempore primo
 Gnosa Cecropiæ tetigissent litora puppes.
 Indomito nec dira ferens stipendia tauro
 Perfidus in Cretam religasset nauita funem.
 Nec malus hic celans dulci crudelia forma
 Consilia in nostris requiescet sedibus hospes.
 Nam quo me referam? quali spe perditam nitam?
 Isthmon, eosne petam montis, ab gurgite lato
 Discernens pontum truculentum ubi diuidit æquor?
 An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui
 Respersum iuuenem fraternæ cæde secuta?
 Coniugis an fido consolet memet amore,
 Quine fugit lentos incuruans gurgite remos?
 Præterea nullo litus, sola insula, tectis.

Nec patet egressus pelagi cingentibus undis,
 Nulla fugæ ratio, nulla spes, omnia muta,
 Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
 Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
 Nec prius a fesso secedent corpore sensus:
 Quam iustam a diuis exposcam prodita multam,
 Cælestumque fidem postrema comprecet hora.
 Quare facta virum multantes vindice pœna
 Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
 Frons expirantis præportat pectoris iras,
 Huc huc aduentate, meas audite querelas,
 Quas ego, ve miseræ, extremis proferre medullis,
 Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
 Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
 Vos nolite pati nostrum vancescere luctum:
 sed quali solam Theseus me mente reliquit,
 Tali mente, deæ, funestet seque suosque.
 Has postquam mæsto profudit pectore voces,
 Supplicium seuis exposcens anxia factis:
 Annuit inuictæ cælestum numine rector,
 Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
 Aequora, concussitque micantia sidera mundus.
 Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
 Confitus oblito dimisit pectore cuncta,
 Quæ mandata prius constanti mente tenebat:
 Dulcia nec mæsto sustollens signa parenti,
 Sospitem, & ereptum se ostendit visere portum.
 Nanque ferunt, olim clasi quum mania diuæ
 Linquentem gnatum, ventis concederet Egeus,
 Talia complexum iuueni mandata dedisse:
 Gnate mihi longa incundior vnice vita,
 Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite

Reddite in extremæ nuper mihi finie senectæ:
 Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida virtus
 Eripit inuito mihi te, quoi languida nondum
 Lumina sunt gnati cara saturata figura:
 Non ego te gaudens letanti pectore mittam,
 Nec te ferre sinam Fortunæ signa secunde.
 Sed primum multas expromam mente querelas,
 Canitiem terra, atque infuso poluere sedans,
 Inde infecta vago suspendam lintea malo,
 Nostros vt luctus, nostræque incendia mentis,
 Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera.
 Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
 Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
 Annuit, vt tauri respergas sanguine dextram:
 Tum vero facito, vt memori tibi condita corde
 Hæc vigeant mandata, nec vlla obliteret atas:
 Vt simulac nostros inuisent lumina collis,
 Funestam antennæ deponant vndique vestem,
 Candidaque intorti sustollant vela rudentes:
 Quamprimum cernens vt læta gaudia mente
 Agnoscam, quum te reducem atas prospera sistet.
 Hæc mandata prius constanti mente tremantem
 Thesea, ceu pulsæ ventorum flammine: ves
 Aerium niuei montis, liquere, cacumen.
 At pater, vt summa prospectum ex arce petebat,
 Anxia in assiduos absument lumina stetus:
 Quum primum inflati conspexit lintea veli,
 Præcipitem sese scopulorum e vertice iccit,
 Amissum credens immitti Thesea fato.
 Sic funesta domus ingressus tecta paterna
 Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
 Oblulerat mente immemori, talem ipse recepit.

D. j.

Quæ tamen ad spectans cedentem mæsta carinam
 Multiplicis animo voluebat faucia curas.
 At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
 Cum thiaso Satyrorum, & Nyssigenis Silenis,
 Te querens Ariadna, tuoque incensus amore:
 Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
 Euoë bacchantes; euoë capita inflectentes.
 Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.
 Pars e diuolso iactabant membra iuuenco.
 Pars sese tortis serpentibus incingebant.
 Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis,
 Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.
 Plangebant alij proceris tympana palmis,
 Aut tereti tenuis tinnitus ære ciebant.
 Multi raucisonis efflabant cornua bombis,
 Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
 Talibus amplifce vestis decorata figuris,
 Poluinar complexa suo velabat amictu.
 Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes
 Expleta est, sanctis cæpit decedere diuis.
 Hic qualis flatu placidum mare matutino
 Horrificans Zephyrus procliuius incitat vndas,
 Aurora ex oriente vagi sub lumina solis:
 Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ
 Prociduum leni resonant plangore cachinnum:
 Post vento crescente, magis magis increbrescunt,
 Purpureaque procul nantes a luce resurgunt:
 Sic tum vestibuli liquentes regia tecta,
 A se quisque vago passim pede discedebant.
 Quorum post abutum, princeps e vertice Pelij
 Aduenit Chiron portans siluestria dona.
 Nam quotcunque ferunt campi, quos Thessala magnis

Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
 Aura parit floris tepidi fecunda Fauoni,
 Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
 Queis permulsa domus iucundo risit odore.
 Confestim Penecos adest. Viridantia Tempe,
 Tempe, quæ siluæ cingunt superimpedentes,
 Minyas in linguens Doris celebranda choreis,
 Cranona erisonamque, tulit radicibus altas
 Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
 Non sine nutanti platano, fletaque sorore
 Flammati Phaethontis, & aëria cupressu.
 Hæc circum sedes late contexta locauit,
 Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
 Post hunc consequitur. solerti corde Prometheus,
 Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ:
 Quam quondam silici restrictus membra catena
 Persoluit, pendens e verticibus præruptis.
 Inde pater diuum sancta cum coniuge, natisque
 Aduenit caelo, te solum Phœbe relinquens,
 Vnigenamque simul cultricem montibus hydri.
 Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
 Nec Thetidis redas voluit celebrare iugalis.
 Qui postquam niveis flexerunt sedibus artus,
 Large multiplici constructæ sunt dapæ mensæ.
 Quum interea infirmo quatientes corpora motu,
 Veridicos Parcæ cæperunt edere cantus.
 His corpus tremulum complectens vndique vestis
 Candida purpurea Tyrios excinxerat ora,
 At roseo nuces residabant vertice vittæ,
 Eternumque manus carpebant rite laborem.
 Læua colum molli lana retinebat amictum,
 Dextera tum leuiter deducens fila supinis.

Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
 Libratum tereti versabat turbine fufum:
 Atque ita decerpens æquabat semper opus dens.
 Laneaque aridulis hærebant morfa labellis,
 Quæ prius in leni fuerant extantia filo.
 Ante pedes autem candentis mollia lanæ
 Vellera virgati custodibant calathifci.
 Hæ tum clarifona pellentes vellera voce;
 Talia diuino fuderunt carmine fata,
 Carmine, perfidie quod post nulla arguet ætas:
 O decus eximium, magnis virtutibus augens,
 Emathie columen Pelæi, clarissime nato:
 Accipe, quod leta tibi pandunt luce sorores,
 Veridicum oraculum, sed vos, quæ fata sequuntur,
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Adueniet tibi iam portans optata maritis
 Hesperus. adueniet fausto cum sidere coniunx,
 Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
 Languidulosque paret tecum coniungere somnos,
 Læuia substernens robusto brachia collo.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Nascetur vobis expers terroris Achilles,
 Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
 Qui persepe vago victor certamine cursus,
 Flammea præuortet celeris vestigia ceruæ.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Non illi quisquam bello se conferet heros,
 Quum Phrygiæ Teucro manabunt sanguine riuus:
 Troicaque obsidens longinquo mænia bello,
 Periuri Pelopis vastabit tertius hæres.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Illius egregias virtutes, claraque facta

Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres:
 Quum cineri incanos soluent a vertice crinis,
 Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Nanque velut densas præsternens cultor aristas,
 Sole sub ardenti flauentia demetit arua:

Troiugenum infesto prosterneat corpora ferro.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri,
 Quæ passim rapido diffunditur Helleponto:

Quous iter cæsis angustans corporum aceruis,
 Alta tepefaciet permixta flumina cæde.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Denique testis erit morti quoque reddita præda:

Quum teres excelso coaceruatim aggere bustum
 Excipiet niueos percussæ virginis artus.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Nam simulac fessis dederit fors copiam Achiuis,
 Urbis Dardaniæ Neptunia soluere vincla:

Alta Polyxenia madescet cæde sepulchra.
 Quæ velut ancipiti succumbens victima ferro,
 Projiciet truncum submisso poplite corpus.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Quare agite optatos animi coniungite amores,
 Accipiat coniunx felici fœdere diuam.

Dedatur cupido iam dudum nupta marito.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Non illam nutrix orienti luce reuisens,

Hesterno collum poterit circumdare filo.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Anxia nec mater discordis mæsta puellæ
 Secubitur, caros mittet sperare nepotes.

D. iij.

Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Talia presantes quondam felicia Pelci
 Carmina, diuino cecinerunt omine Parca.
 Praesentes nanque ante domos inuisere castas
 Nereus ut sese mortali ostendere caetu
 Calicola nondum spreta pietate solebant.
 Saepe pater diuum templo in fulgente reuisens,
 Annua dum festis venissent sacra diebus,
 Conspexit terra centum procurrere currus.
 Saepe vagus Liber Parnasi vertice summo
 Thyadas effusus euantis crinibus egit:
 Quum Delphi tota certatim ex vrbe ruentes
 Acciperent lati diuum fumantibus aris,
 Saepe in letifero belli certamine Mauors,
 Aut rapidi Tritonis Hera, aut Rhannusia virgo
 Armatas hominum est praesens hortata cateruas.
 Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
 Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
 Perfudere manus fraterno sanguine fratres.
 Destitit extinctos natus lugere parentis.
 Optauit genitor primaeui funera nati,
 Liber ut inuuptae potiretur flore nouerca.
 Ignaro mater substernens se impia nato,
 Impia non verita est diuos scelerare parentes,
 Omnia sanda, nefanda malo permista furore
 Iustificam nobis mentem auertere deorum.
 Quare nec tales dignantur visere caetus,
 Nec se contingi patiuntur lumine claro.

ETSI me adsiduo confectum cura dolore
 seuocat a doctis, Ortale, virginibus:
 Nec potis est dulcis Musarum expromere fortus

Mens animi tantis fluctuat ipsa malis.
 Nanque mei nuper Lethæo gurgite fratris
 Pallidulum manans alluit vnda pedem,
 Troia Rhetæo quem subter litore tellus,
 Ereptum nostris obterit ex oculis

* * * * *
 Nunquam ego te vita frater amabilior
 Aspiciam posthac? at certe semper amabo,
 Semper mæsta tua carmina morte legam:
 Quælia sub densis ramorum concinit vmbriis
 Daulias, absumti fata gemens Ityli.

Sed tamen in tantis mæroribus, Ortale, mitto
 Hæc excerpta tibi carmina Battiada:
 Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
 Effluxisse meo forte putes animo:
 Vt missum sponsi furtiuo munere malum
 Procurrit casto virginis e gremio,
 Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
 Dum aduentu matris profilit, excutitur,
 Atque illud prono præceps agitur decursu.
 Huic manat tristi conscius ore rubor.

OMNIA qui magni dispexit lumina mundi,
 Qui stellarum ortus comperit, atque obitus:
 Flammeus vt rapidi solis nitor obscuretur,
 Vt cedant certis sidera temporibus,
 Vt Truiam furtim sub Latmia saxa relegans,
 Dulcis amor gyro deuocet aërio:
 Idem me ille Conon cælesti lumine vidit
 E Bereniceo vertice cæsariem,
 Fulgentem clare: quam multis illa decorum,
 Leuia protendens brachia pollicita est.

D. iij

Qua rex tempestate nouo auctus Hymenæo,
 Vastatum finis iuerat Assyrios,
 Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
 Quam de virgineis gesserat exuuijs.
 Estne nouis nuptis odio Venus? ane parentum
 Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
 Vbertim thalami quas intra limina fundunt?
 Non, ita me diui, vera gemunt, iucrint.
 Id mea me multis docuit regina querelis,
 Inuisente nouo prælia torua viro.
 At tu non orbum luxti deserta cubile,
 Sed fratris cari flebile discidium:
 Quum penitus mæstas exedit cura medullas.
 Vt tibi tunc toto pectore sollicitæ
 Sensibus creptis mens excidit. atqui ego certe
 Cognoram a parua virgine magnanimam.
 Anne bonum oblita es facinus, quod regium adeptæ es
 Coniugium? quod non fortior aut sit alis?
 Sed tun mæsta virum mittens, quæ verba locuta es?
 Iuppiter, vt tristi lumina sæpe manu.
 Quis te mutauit tantus deus? an quod amanteis
 Non longe a caro corpore abesse volunt?
 At quæ ibi, proh, cunctis pro dulci coniuge diuis
 Non sine taurino sanguine pollicita es,
 Si reditum tetulisset is, aut in tempore longo
 Captam Asiam Ægypti finibus adijceret?
 Quæ ego pro factis caelesti reddita cætu,
 Pristina vota nouo munere dissoluo.
 Inuita, o regina, tuo de vertice celsi,
 Inuita, adiuro teque, tuumque caput,
 Digna ferat, quod siquis inaniter adiuravit,
 Sed qui se ferro postulet esse parem?

Ille quoque euersus mons est, quem maximum in oris
 Progenies Phthiæ clara superuchitur:
 Quum Medi properare nouum mare: quumque iuuetus
 Per medium clasi barbara nauit Athon.
 Quid facient crines, quum ferro talia cedant?
 Iuppiter, vt * . . . omne genus pereat.
 Et qui principio sub terra querere uenas
 Institit, ac ferri frangere duritiem.
 Abruptæ paulo ante comæ mea fata sorores
 Lugebant, quum se Memnonis Æthiopis
 Vnigena impellens nutantibus aera pennis,
 Obtulit Arfinoes Chloridos ales equus.
 Isque per ætherias me tollens aduolat umbras
 Et Veneris casto conlocat in gremio.
 Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
 Gnata Canopijs incola litoribus
 Ludit vbi, vario ne solum in lumine cæli
 Aut Ariadneis aurea temporibus
 Fixa corona foret: sed nos quoque fulgeremus
 Deuotæ flauis verticis exuuiæ.
 Viuidulo a statu cedentem ad templa deum me
 Sidus in antiquis diua nouum posuit.
 Virginis & sæui contingens nanque leonis
 Lumina, Callisto iusta Lycaonida,
 Vctor in occasum tardum dux ante Booten,
 Qui vix sero alto mergitur Oceano.
 Sed quanquam me nocte premunt vestigia diuum,
 Luce autem canæ Tethyi restitutor:
 Pace tua fari hæc liceat Rhannusia virgo:
 Nanque ego non vlllo vera timore tegam:
 Non si me infestis discerpant sidera dictus,
 Condita quin veri pectoris euoluam:

Non his tam letor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominæ vertice discrucior.

Quicum ego, quum virgo quondâ fuit, omnibus expers
Vnguentis, vna millia multa bibi.

Nunc vos, optato quæ iunxit lumine tæda,
Non post vnanimis corpora coniugibus:

Tradite nudantes reiecta veste papillas,
Qua iucunda mihi munera libet onyx:

Vester onyx, casto petitis quæ iura cubili.
Sed quæ se impuro dedit adulterio,

Illius ab mala dona leuis bibat invita poluis.
Nanque ego ab indignis præmia nulla peto.

Sed magis, o nuptæ, semper concordia vestras,
Semper amor sedis incolat adsiduus.

Tu vero, regina, tuens quum sidera, diuam
Placabis festis luminibus Venerem:

Sanguinis expertem non sueris esse tuam me,
Sed potius largis adfice muneribus.

Sidera quur iterent? vtinam coma regia fiam.
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

O D V L C I iucunda viro, iucunda parenti,
Salve, teque bona Iuppiter auctet ope
Iarua: quam Balbo dicunt seruisse benigne
Olim, quum sedis ipse senex tenuit:

Quamque ferunt rursus voto seruisse maligno,
Postquam es porrecto facta marita sene.

Dic age dum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc sum,
Culpa mea est, quanquam dicitur esse mea.

Nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam.

Verum isti populi nania, Quinte, facit:
 Qui quacunq; aliquid reperitur non bene factum,
 Ad me omnes clamant: Ianua culpa tua est.
 Non istuc satis est vno te dicere verbo:
 Sed facere, vt quiuis sentiat, & videat.
 Quid possis, nemo quærit, nec scire laborat.
 Nos volumus vobis dicere, ne dubita.
 Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
 Falsum est, non qui illam vir prior attigerit,
 Languidior tenera quoi pendens scula beta
 Nunquam dimidiam sustulit hanc tunicam.
 Sed pater ille sui nati violasse cubile
 Dicitur, & miseram conscclerasse domum.
 Siue quod impia mens cæco flagrabat amore:
 Seu quod iners sterili semine natus erat.
 Et quærendum vnde vnde foret neruosius illuc,
 Quod posset Zonam soluere virgineam.
 Egregium narras mira pietate parentem,
 Qui ipse sui gnati imminxerit in gremium.
 Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
 Brixia Chinæ supposita specula:
 Flauus quam molli percurrit flumine Mela:
 Brixia Veronæ mater amata meæ:
 Sed de Posthumio, & Corneli narrat amore:
 Cum quibus illa malum fecit adulterium.
 Dixit hic aliquis, Qui tu isthæc Ianna nosti,
 Quoi nunquam domini limine abesse licet,
 Nec populum auscultare: sed huic suffixa tigillo
 Tantum operire soles, aut aperire domum?
 Sæpe illam audiui furtiua voce loquentem
 Solam consciolis hæc sua flagitia,
 Nomine dicentem, quos diximus: vt pote quæ mi

speraret nec linguam esse, nec auriculam.
 Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
 Nomine, ne tollat rubra supercilia.
 Longus homo est, magnas quoui lites intulit olim
 Falsum mendaci ventre puerperium.

QUOD mihi fortuna, casuque oppressus acerbo,
 Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium:
 Naufragum vt eiectum spumantibus æquoris undis
 Subleuem, & a mortis limine restituam:
 Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
 Desertum in lecto cælibe perpetitur:
 Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
 Oblectant, quum mens anxia peruiget:
 Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum:
 Muperaque, & Musarum hinc petis, & Veneris,
 Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda Manli,
 Neu me odisse putes hospitis officium:
 Accipe queis merfer fortunæ fluctibus ipse,
 Ne amplius a misero dona beata petas.
 Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
 Iucundum quum ætas florida ver ageret:
 Multa satis lusi, non est dea nescia nostri,
 Quæ dulcem curis miscet amarititem.
 Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
 Abscidit. o misero frater adempte mihi.
 Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater.
 Tecum vna tota est nostra sepulta domus.
 Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,
 Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
 Quoius ego interitu tota de mente fugavi
 Hæc studia, atque omnis delicias animi,

Quare, quod scribis Verona turpe Catullo
 Esse: quod hic quisquis de meliore nota
 Frigida deserto tepescit membra cubili:
 Id Manli non est turpe: magis miserum est.
 Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit,
 Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo.
 Nam quod scriptorum non magna est copia apud mē,
 Hoc fit, quod Romæ viuimus. illa domus,
 illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
 Huc vna ex multis capsula me sequitur.
 Quod quum ita sit, nolim statuas me mente maligna
 Id facere, aut animo non satis ingenuo:
 Quod tibi non vtriusque petiti copia facta est.
 Vltro ego deferrem, copia si qua foret.
 Non possum reticere, dea, qua me Allius in re
 Inuerit, aut quantis inuerit officijs:
 Ne fugiens seclis obliuiscens ætas
 Illius hoc caeca nocte tegat studium.
 Sed dicam vobis. vos porro dicite multis
 Millibus. & facite hæc charta loquatur annus.

* * *
 Notescatque magis mortuus, atque magis.
 Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
 In deserto Allij nomine opus faciat.
 Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
 Scitis, & in quo me torruerit genere:
 Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
 Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis.
 Mæsta neque assiduo tabescere lumina fletu
 Cessarent, tristisque imbre madere genæ.
 Qualis in aerij pellucens vertice montis
 Riuis, muscoso prosilit e lapide.

Qui quum de prona præceps est valle volutus,
 Per medium densi transit iter populi,
 Dulce viatori lasso in sudore leuamen,
 Quum grauis exustos astus hiulcat agros.
 Ac velut in nigro iactatis turbine nautis
 Lenius aspirans aura secunda venit,
 Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata:
 Tale fuit nobis Manlius auxilium.
 Is laxum lato patefecit limite campum,
 Isque domum nobis, isque dedit dominam:
 Ad quam communes exerceremus amores,
 Quo mea se molli candida diua pede
 Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
 Innixa, arguta constituit solea.
 Coniugis vt quondam flagrans aduenit amore,
 Protefilacæ Laodamiam domum
 Inceptam frustra, nondum quum sanguine sacro
 Hostia celestis pacificasset heros.
 Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
 Quam temere inuitis suscipiatur heris.
 Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
 Docta est amisso Laodamia viro:
 Coniugis ante coacta noui dimittere collum,
 Quam veniens vna atque altera rursus hyemis
 Noctibus in longis auidum saturasset amorem:
 Possset vt abrupto viuere coniugio.
 Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
 Si miles muros isset ad Iliacos.
 Nam tum Helenæ raptu primores Argiuorum
 Cæperat ad sese Troia ciere viros:
 Troia nefas, commune sepulchrum Asiæ, Europæque,
 Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.

Quæ, ve, ter nostro letum miserabile fratri
 Attulit. heu misero frater adempte mihi.
 Hei misero fratri iucundum lumen ademptum.
 Tecum vna tota est nostra sepulta domus.
 Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,
 Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
 Quem nunc tam longe non inter nota sepulchra,
 Nec prope cognatos compositum cineres,
 Sed Troia obscæna, Troia infelice sepultum
 Detinet extremo terra aliena solo.
 Ad quam tum properans fertur * vndique pubes
 Græca penetrans deseruisse focos:
 Ne Paris abducta gauisus libera mæcha
 Otia pacato degeret in thalamo.
 Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
 Ereptum est vita dulcius, atque anima
 Coniugium, tanto te absorbens vortice amoris
 Æstus in abruptum detulerat barathrum.
 Quale ferunt Graiū Pheneum prope Cyllencum
 Siccari emulsa pingue palude solum.
 Quod quondam cæsis montis fodiisse medullis
 Audet falsiparens Amphitryoniades:
 Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
 Perculit, imperio deterioris heri:
 Pluribus vt cæli tereretur iamua diuis,
 Hebe nec longa virginitate foret.
 Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
 Quod diuum domitum ferre iugum docuit.
 Nam neque tam carum confecto ætate parenti
 Vna caput feri nata nepotis alit:
 Qui quum diuitijs vix tandem inuentus auitis
 Nomen restatas intulit in tabulas,

Impia derisi gentilis gaudia tollens,
 Suscitata ab cano volturnum capiti.
 Nec tantum niueo gauisa est vlla columba
 Compar, quæ multo dicitur improbius
 Oscula mordenti semper decerpere rostro,
 Quamquam præcipue multiuola est mulier.
 Sed tu olim magnos vicisti sola furores,
 Vt semel es flauo conciliata viro.
 Aut nihil aut paulo quoui tum concedere digna
 Lux mea se nostrum contulit in gremium.
 Quam circum cursans hinc illinc sæpe Cupido
 Fulgebat crocina candidus in tunica.
 Quæ tamen etsi vno non est contenta Catullo,
 Rara verecundæ furta feremus heræ:
 Ne nimium simus stultorum more molesti.
 Sæpe etiam Iuno maxima calicolum
 Coniugis in culpa flagrant quottidiana,
 Noscens omniuoli plurima furta Iouis:
 Atqui nec diuis homines componier, æquum est:
 Ingratum tremuli tolle parentis onus.
 Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
 Fragrantem Assyrio venit odore domum:
 Sed furtiua dedit mira munuscula nocte,
 Ipsius ex ipso dempta viri gremio.
 Quare illud satis est, si nobis is datur imus,
 Quem lapide illa diem candidiore notat.
 Hoc tibi quod potui confectum carmine munus
 Pro multis, Alli, redditur officijs:
 Ne vestrum scabra tangat robigine nomen
 Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia:
 Huc addent diui quamplurima, quæ Themis olim
 Antiquis solita est munera ferre pijs.

Sitis felices & tu simul, & tua vita,
 Et domus, ipse in qua lusimus, & domina.
 Et qui principio nobis te tradedit Vfers,
 A quo primo sunt omnia nata bona.
 Et longe ante omnis mihi quæ me carior ipso est
 Lux mea: qua viuua viuere dulce mihi est.

NOLI admirari, quare tibi scemina nulla,
 Ruse, velit tenerum supposuisse femur.
 Non illam rare labefactes munere vestis,
 Aut perluciduli delitijs lapidis.
 Ledit te quedam mala fabula, qua tibi fertur
 Valle sub alarum trux habitare caper.
 Hunc metuunt omnes: neque mirū. nam mala valde est
 Bestia, nec quicum bella puella cubet.
 Quare aut crudelem naso: um interfice pestem:
 Aut admirari desine, quur fugiunt.

NVLLI se dicit mulier mea nubere malle,
 Quam mihi: non si se Iuppiter ipse petat.
 Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
 In vento, & rapida scribere oportet aqua.

SI qua, Virro, bono sacrorum* obstitit hircus
 Aut si quem merito tarda podagra secat:
 Amulus iste tuus, qui vostrum exercet amorem,
 Mirifice est a te nactus vtrunque malum.
 Nam quoties futuunt, toties viciscitur ambo.
 Illam affligit odore, ipse perit podagra.

DICEBAS quondam, solum te nosse Catullum,
 Lesbia: nec, præ me, velle tenere Iouem.

E.j.

Dilexi tum te, non tantum vt volgas amicam;
sed pater vt gnatos diligit, & generos.

Nunc te cognoui. quare etsi impensius vror,
Multo mi tamen es vilior, & leuior.

Qui potis est? inquis. quod amantem iniuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

DESINE de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.

Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Imo etiam tædet, statque magisque magis.

Vt mihi, quem nemo grauius, nec acerbius vrget:
Quã modo qui me vnũ, atque vniciũ amicũ habuit.

GELLIVS audierat, patrum obiurgare solere,
si quis delitias diceret, aut faceret.

Hoc ne ipsi accideret, patrum perdepſit ipsam
Vxorem, & patrum reddidit Harpocratem.

Quod voluit, fecit. nam, quanuis inrumet ipsum
Nunc patrum, verbum non faciet patrum.

NULLA potest mulier tantum se dicere amatam.
Vere, quantum a me, Lesbia, amata mea es.

Nulla fides vllò fuit vnquam fædere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa pio:

Vt iam nec bene velle queam tibi, si optuma fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

SI QVA recordanti bene facta priora voluptas
Est homini, quum se cogitat esse pium:

Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in vlllo
 Diuum ad fallendos numine abusum homines:
 Multa parata manent in longa etate Catulle
 Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
 Nã quæcûque homines bene quouiquã, aut dicere possunt,
 Aut facere: hæc a te dictaque, factaque sunt.
 Omnia quæ ingratae perierunt credita menti.
 Quare iam te quur amplius excrucies?
 Quin te animu offirmas itaque instructoque reducis?
 Et, dijs inuitis, desinis esse miser?
 Difficile est, longum subito deponere amorem.
 Difficile est: verum hoc qua lubet, efficias.
 Vna salus hæc est, hoc est tibi peruincendum.
 Hoc facies, siue id non pote, siue pote.
 O dij, si vostrum est misereri, aut si quibus vnquam
 Extrema iam ipsa in morte tulistis opem:
 Me miserum adspicite: & si vitam puriter egi,
 Eripite hanc pestem, perniciemque mihi.
 Seu mihi subrepens imos, vt torpor, in artus,
 Expulit ex omni pectore letitias.
 Non iam illud quæro, contra vt me diligit illa,
 Aut, quod non potis est, esse pudica velit:
 Ipse valere opto, & tetrum hunc deponere morbum.
 O dij reddite mi hoc pro pietate mea.

R V F E mihi frustra, ac nequicquam cognite amice.
 Frustra i imo magno cum precio, atque malo:
 Siccine subrepsi mi, atque intestina perurens
 Mi misero eripuisti? omnia nostra bona
 Eripuisti, heu heu nostræ crudele venenum
 Vitæ, heu heu nostræ pestis amicitia?
 Sed nunc id doleo, quod puræ pura puellæ

E.ij.

Sauia comminxit spurca salina tua.
Verum id non impune ferēs. nam te omnia sacra
Noscent, & qui sis, fama loquetur anus.

GALLVS habet fratres: quorum est lepidissima cōiunx
Alterius: lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus. nam dulcis iungit amores,
Cum puero vt bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrum monstrat adulterium.

GELLIVS est polcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
sed tamen hic polcher vendat cum gente Catullum,
si tria notorum sauiā reppererit.

QV I D dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiōra nine?
Mane domo quum exis, & quum te octaua quiete
Et mollis longo suscitāt hora die:
Nescio quid certe est, an vere fama susurrat,
Grandia te medij tenta vorare viri?
Sic certe, clamant Victoris rupta miselli
Ilia, & emulso labra notata sero.

NEMONE in tanto potuit populo esse, Iuuenti,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes?
Praterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua:
Qui tibi nunc cordi est, quem tu praeponere nobis
Audes. Ah nescis, quod facinus facias.

QVINTI, si tibi vis oculos debere Catullum,
 Aut aliud, si quid carius est oculis:
 Eripere ei noli, multo quod carius illi
 Est oculis, seu quid carius est oculis.

LESBIA mi præfente viro mala plurima dicit.
 Hoc illi fatuo maxima læritia est.
 Mule nihil sentis, si nostri oblita taceret,
 sana esset. quod nunc gannit, & obloquitur,
 Non solum meminit: sed, quæ multo acrior est res,
 Irata est: hoc est vitur, & loquitur.

CHOMMODA dicebat, si quando commoda vellet
 Dicere, & insidias Arius insidias.
 Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
 Quum quantum poterat, dixerat insidias.
 Credo sic mater, sic Liber amunculus eius,
 Sic maternus avus dixerit, atque avia.
 Hoc missò in Syriam, requierant omnibus aures,
 Audibant eadem hæc leniter, & tenuiter.
 Nec sibi postilla metuebant talia verba,
 Quum subito adfertur nuntius horribilis:
 Ionios fluctus, postquam illuc Arius isset,
 Iam non Ionios esse, sed Hionios.

ODI, & amo. quare id faciam, fortasse requiris.
 Nescio: sed fieri sentio, & excrucior.

QVINTIA formosa est multis: mihi candida, longa,
 Recta est. hoc ego, sic singula consiteor.
 Totum illud, formosa, nego. nam nulla venustas,
 Nulla in tam magno est corpore mica salis.

L.ij.

*Lesbia formosa est: quae cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus vna omnis surripuit Veneres.*

QUID facit is, Gelli, qui cum matre, atque sorore
Prurit, & abiectis peruigilat tunicis?
Quid facit is, patrium, qui non finit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non vltima Tethys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil est quicquam sceleris, quod prodeat vltra.
Non si demisso se ipse voret capite.

GELLIUS est tenuis, quidni? quoi tam bona mater,
Tamque valens viuat, tamque venusta soror,
Tamque bonus patrius tamque omnia plena puellis
Cognatis. quare is desinat esse macer?
Qui vt nihil attingit, nisi quod fas tangere non est,
Quantum vis quare sit macer, inuenies,

NASCATUR Magus ex Gelli, matrisque nefando
Coniugio, & discat Persicum haruspicium.
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio,
Gnatus vt accepto veneretur carmine diuos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens,

NON ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro perditio amore fore:
Quod te cognossem bene, constantemque putarem
Aut posse a turpi mentem inhibere probro.
Sed neque quod matrem, nec germanam esse videbam
Hanc tibi, quouis me magnus cedeat amor.

Et quanuis tecum multo coniungerer vsu,
 Non satis id causa credideram esse tibi.
 Tu satis id duxti. tantum tibi gaudium in omni
 Culpa est, in quacunque est aliquid sceleris.

LESBIA mi dicit semper male, nec tacet vnquam
 De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.
 Quo signo? quasi non totidem mox deprecor illi
 Assidue: verum dispeream, nisi amio.

NIL nimum studeo, Caesar, tibi velle placere:
 Nec scire virum sis albus, an ater homo.
 Mentula mæchatur, mæchatur mentula. certe
 Hoc est, quod dicunt, Ipsa olera olla legit.

SMYRNA mei Cinnæ nonam post denique messem
 Quam cæpta est, nonamque edita post hiemem,
 Millia quum interea quingenta Hortensius vno

Smyrna cauas Atracis penitus mitteretur ad vndas.
 Smyrnam incana diu secula peruoluent.
 At Volusij annales apuam porgentur ad ipsam,
 Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
 Parua mei mihi sunt cordi monimenta laboris.
 At populus tumido gaudeat Antimacho.

SI quicquam mutis gratum acceptumue sepulchris
 Accidere a nostro, Calue, dolore potest,
 Quo desiderio veteres renouamus amores,
 Atque olim missas flemus amicitias:
 Certe non tanto mors immatura dolori est
 Quintilia, quantum gaudet amore tuo.

E. iiii.

NON, ita me diu amant, quicquam referre putauit,
 Vtrumne os an culum olfacerem Emilio.
 Nil immundius hoc, nihiloque immundius illud.
 Verum etiam culus mundior, & melior.
 Nam sine dentibus est, hoc dentis se sequipedalis,
 Ginguas vero ploxemi habet veteris.
 Præterea rictum, qualem defessus in æstum
 Meientis mulæ cunnus habere solet.
 Hic futuit multas, & se facit esse venustum.
 Et non pistrino traditur, atque asino?
 Quem si qua attingit, non illam posse putemus
 Ægroti culum lingere carnificis?

IN te si quicquam, dici pote, putide victi,
 Id quod verbosis dicitur, & fatuis:
 Ista cum lingua, si vsus veniat tibi, possis
 Culos & crepidas lingere carbatinas.
 Si nos omnino vis omnis perdere victi,
 Dicās: omnino quod cupis efficies.

SVBRIPIVI tibi, dum ludis, mellite Iuuenti,
 Saviolum dulci dulcius ambrosia.
 Verum id non impune tuli, nanque amplius horare
 Suffixum in summa me memini esse cruce:
 Dum tibi me purgo, nec possum fletibus vllis
 Tantillum vestræ demere scuitiæ.
 Nam simul id factum est, multis diluta labella
 Guttis absterfisti omnibus articulis:
 Ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
 Tanquam comminctæ spurca salina lupæ.
 Præterea infesto miserum me tradere amoris
 Non cessasti, omnique excruciare modo:

Vt mi ex ambrosia mutatum iam foret illud
saiolum, tristi tristius helleboro.

Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
Non vnquam posthac basta subripiam.

COELIVS Ausilenum, & Quintius Ausilenam
Flos Veronensium depercutunt iuuenum,
Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitiium.
Quoi fauceam potius? Cœli, tibi. nam tua nobis
Perspecta exigitur vnica amicitia:
Quum vesana meas torreret flamma medullas,
Sis felix Cœli, sis in amore potens.

MVLTA S per gentes, & multa per æquora vectus
Aduenio has miseris, frater, ad inferias:
Vt te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
Tradita sunt tristis munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, frater, aue, atque vale.

SI quicquam tacito commissum est fido ab amico,
Quotius sit penitus nota fides animi:
Meque esse inuenies illorum iure sacratum,
Corneli, & factum me esse puta Harpocratens.

AVT sodes mihi redde decem sextertia, Sila,
Deinde esto quauis scuus & indomitus.

Aut, si te nummi delectant, desine quaeso
Leno esse, atque idem sciuus & indomitus.

CREDIS, me potuisse mea maledicere vita,
Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Non potui, nec si possem, tam perditæ amarem:
Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

MENTVLA conatur Pimpleum scandere montem.
Musæ furcillis præcipitem cÿciant.

CVM puero bello præconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

SI quicquam cupidoque, optantique obrigit vnquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro:
Quod te restituis Lesbia mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis, o lucem candidiore nota.
Quis me vno viuuit felicior, aut magis est me
Optandus vita, dicere quis poterit?

SI, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua execta auido sit data volturio:
Effossos oculos voret atro gutture coruus:
Intestina canes, cætera membra lupi.

IVCVNDVM, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.

Dij magni, facite, vt vere promittere possit:
 Atque id sincere dicat, & ex animo,
 Vt liceat nobis tota perducere vita
 Alternum hoc sanctæ fœdus amicitia.

AVFILENA, bonæ semper laudantur amica.
 Accipiunt precium, quæ facere institunt.
 Tu quod promisti mihi, quod mentita inimica es,
 Quod nec das nec fers: sæpe facis facinus.
 Aut facere ingenua est, aut non promisse pudica,
 Ausilena fuit. Sed data corripere
 Fraudando, effexit plusquam meretricis auaræ,
 Quæ sese toto corpore prostituit.

AVFILENA, viro contentas viuere solo
 Nuptiarum laus e laudibus eximij.
 Sed quouiis quamuis potius succumbere fas est,
 Quam matrem fratres efficere ex patruo.

MVLTVS homo (es, Naso, nã tecũ multus homo) est, qui
 Descendit? Naso, multus es & pathicus?

CONSULE Pompeio primum duo, Cinna, solebant
 Mæchi. illi ab factõ consule nunc iterum
 Manserunt duo. sed creuerunt millia in vnum
 Singulum. fœcundum semen adulterio.

FORMIANVS saltus non falso, Mentula, diues
 Fertur. qui quot res in se habet egregias?
 Auidia omne genus, piscis, prata, arua, ferasque.
 Nequicquam. fructus sumtibus exuperas.

Quare concedo sit diues, dum omnia desint.
Saltum laudemus, dum modo ipse egeas.

MENTVLA habet iusta triginta iugera prati,
Quadraginta arui. cetera sunt maria.
Quis non diuitijs Cræsum superare potis sit,
Vno qui in saltu totmoda possideat?
Prata, arua, ingentis siluas, saltusque, paludesque
Vsq; ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.
Omnia magna hæc sunt. tamē ipse est maximus lustris.
Non homo, sed vere mentula magna, minax.

SÆPE tibi studioso animo venanda requirens
Carmina vti possem mittere Battiada,
Quis te lenirem nobis, neu conarere,
Telis infesto mi icere musca caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumptū esse laborem,
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua euitamus amictu.
At fixus nostris tu dabi supplicium.

FINIS.



